ut quodammodo omnium dolor fieret, qui solum opprimebat.
Sane quod et Naso expertus fuit.

Seu stupor huic studio sive est insania nomen
Omnis ab hâc curâ, mens relevata mea est.

et mirifice profuit, non uno idiomate lugere. Horum igitur ut dixi schediasmatum (nam et subitanea omnis fuit et desultoria scriptio) pars est, quam vides; Censurae ut solenne est mihi tuae supponenda, priusquam vulgo. Censesis et pronuncia, cum hoc solo moderamine, ut memineris, quo rerum mearum animique turbine exarata sint ista. nam quod alibi idem Naso statuit, grande doloris ingenium esse, fateor nec evenisse mihi nec vero simile videri. Postremo, si nauseas, et irasceris toties tribunal tuum de tribus capellis appellanti, cave commodi amici tandem in discrimen des. quid autem? cave Christiani, nosti enim ubi scriptum sit. ὅς τις σε ἀγγαρεύσει μίλιον ἕν &c: Tandem vale Censor amicissime et me ama, satis sic opinor, resarcientem si quid silendo peccatum est. Hagae Com: ipso aequinoctio verno CIↃIↃCXXXIX.

Nondum de tabulâ manum tollo. omisi enim sine quo raras ad te literas obseravi; quid scribis musici aut meditaris? ὅταν δὲ μὴ τοιοῦτόν τι πράττῃς ὦ θεὸς τῶν θεῶν πῶς διατρίβεις, καὶ τί ποιεῖς: de valetudine enim nihil ultra inquiro, confidens bonam et firmam esse.

A: Mariae Schur=
=mannae. (274).

Si nimirum vacas, nobilissima virginum, quod quam raro tibi indulgeas facile conjicio, Si vacas tamen, est hic ubi horae momentum sic pene ~~ubi~~ colloces, quasi dormias. quod ipsum quando nec omnibus facis, facere te nunc paulisper meâ causâ per sanctos, Illius manes rogo, quae et ipsa καθεύδει οὐκ ἀπέθανε, atque ut in virtutis tuae perpetuâ admiratione vixit, etiam amicitiâ, nisi fallor, innotuit, vetusto cultu. Poemation vides in gratiam olim et impulsu τῆς μακαρίτιδος calide inchoatum, sensim, et quae vitae meae sors est, desultorio impetu productum, tandem acerbo ejus funere, cujus de suavi mecum contubernio summa ~~erat~~ argumenti erat, repente abruptum. Tantâ sui parte mutilum

mutilum subduci literatorum oculis nescio an debuerit;
certè nequiit, contendentibus plerisque, ut ne typos quidem
effugiat; quâ de re cum hactenus dissentiamus, pauci
me, ut vides, lectoribus, quibus ferè contentus scribo
contendendum praebeo. Et occurris instar omnium, illustris
patriae gemma, iis quidem de causis, quas modestiae
tuae ne obtrudam, ægrè mihi legem dico. Lege, si tan-
tum, inquam vacat et cense. censoria mihi virgo et
virga sic futuras, ut cujus me judicij decreto caetera
omnia posthabenda statuam. Vale super saecula et
mores saeculi morumque decus κὴ τοσοῦ μοι χάριταϛ,
quantum hic impudentiae est, benignè condones.

Hagae Com: IV. Id. Aprilis
CIↃIↃCXXXIX.

Magni nominis Tui
addictissimo Cultori.
C. Hugenio.

D. Gisberto Voetio hactenus mihi
facie ignoto, ab eruditionis verò
κὴ τῆς θαυμαστῆς εὐσεβείας famâ
pridem notissimo, tuis ut meis salutem
verbis dici postulo

(275).

Puteano.

Filio tuo, Vir Amplissime, a militibus nuper nostris, in-
dignis modis accepto, quid facto opus esset per Amanu-
sem indicari jussi, distractior ipse, ut soleo; imo, su-
apparatus bellicos, ut non soleo. Dum expecto supplicem
libellum, ut operam ipsi meam praestare possim et fid-
ecce, datam Parenti libero; domumque meam, quando
Hagae ipsam visas, (pulcherrimo sanè situ insignem, qu-
hic exprimi nequiit) per Patriae calamitatem non licet, Lova-
nii sisto. Ingredere et cense. nam nec hospite quidem te
contentus sum. unà judicem appello, et, quem πανσόφον
semper statui, etiam in hâc ludicra, certe minus sever-
parte Matheseos, Architectonices magistrum postulo
ut conuictus errorum, quos ingenuè agnoscam, me-
jam non periculo sed damno alijs cautioni sim. De
hisce tabulis dissertatiuncula, quâ caussas ædificii e-
modos filiis meis, admodum puellis, sed harum rerum
non incapacibus, exponere decreui, ut in promptu
post me habeant, quo defuncti factum hæredes pra-
forte eâdem operâ in ~~caeteris~~ veteris Architectura
sacra